Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 131
Quelle:
Copyright:

ornari jussisse, et dicasse anno O. C. 7159. id est, Chr. 1651. Ecclesiae Monasterii *Albae Graecae*, seu *Belgradensis* Archangelorum *Michaelis* et *Gabrielis*, ut pro sua, Mariti *Johannis*, et Parentum *Petri* et *Thomaniae* salute in quotidianis Evangeliorum Lectionibus et Sacrificiis fiat memoria. Dein *fol.* 352. p. 2. ubi *Ananias* Metropolita *Ugrovalachicus* ordine XXIII. illum 50. Rublis (100. Thaleris) ab illa Ecclesia redemisse dicitur, et novae Aedi Metropolitanae in honorem Ascensionis Christi *Targovisti* in *Moldavia* fundatae addixisse, subjuncta in furem aut spoliatorem imprecatione, ut ei non aliter eveniat, quam illis, qui vociferati sunt: *Tolle, crucifige! Sanguis ejus super nos* &c. Interim jam uterque Codex, fortassis a militibus adlatus, *Viennae* existebat a. 1699. ut liquet ex inserta descriptione *Adami Stylae* Aulae Caes. Interpretis *Russ.* et *Polonici*, cui, quae de Fatis eorum dicta sunt, debentur, revisa tamen a Viro mihi amicissimo *Fortunato Durichio* Literaturae Slavicae hodie promo condo.

LXXXV.

C. 993 Codex membraneus purpureus, pluribus in foliis colore ob aetatem evanido, Sec. VI. Folior. nunc 143. forma fol. paene quadra, totus charactere unciali argenteo, qui sacris Libris olim honos erat, exaratus, nisi quod *Dei, Domini, Jesu*, et *Christi* nomina auro scripta sunt, *Evangelia Lucae*, et *Marci* complectitur ex antiqua Versione, quae *Italae* ἐπίθετον obtinuit. Et *Lucae* quidem a verbis C. 10. v. 6. *Sin autem, ad vos revertetur* &c. ad verba C. 23. v. 10. *Constanter accusantes eum; Marci* vero a verbis C. 2. v. 17. *Sani medicum* (medico) *sed qui male habent* &c. ad verba C. 14. v. 36. *Abba pater possibilia omnia tibi sunt.* Ex his, quae *Lucae* sunt, a Foliis 6. *Quaternionis* XLII. progrediuntur ad completum *Quaternionem* LII. ita tamen, ut XLVII. tantum sit *Ternio*; quae autem *Marci*, a Foliis 7. *Quaternionis LV.* pertingunt ad *Quaternionem* LXIII. multatum folio ultimo, ita, ut etiam dimidium *Quaternionis* LX. avulsum sit. Unde probabiliter conjici potest, in hoc pretioso *Codice* praecessisse olim *Matthaei* et *Johannis Evangelia*, quod nequaquam insolitum fuisse docet exemplis *Jos. Blanchinus* in *Vindiciis Canonic. Scripturar. Romae* 1740. p. 399. f. Ad cujus Viri, cum actum agere volupe non sit, opus nunc citatum p. 396. tum ad ejus *Evangeliarium Quadruplex Romae* editum 1749. et quidem P. I. *Prolegom.* p. 82. dein P. II. *pagg.* 132. 577. et 598. Lectorem remitto, ubi et *Codicis* a Card. *Hier. Seripando* Coenobio O. sui, videlicet S. *Aug. Neapoli ad S. Johannem de Carbonaria* relicti, indeque ad Bibliothecam Caes. *Vindobonam* translati indolem a decessore nostro